

IV. IDEM GREGORIUS I. super Ezechielem, lib. 1. homil. 3. [c. an. 600. Romæ.] Ante Dei oculos cadunt, qui bona, que concipiunt, agere recusant.

QUI bona agunt, si meliora agere deliberant, & post deliberata non faciunt; licet in bonis prioribus perseverent, in conspectu tamen Dei ceciderunt ex deliberatione. Item paulo superius. §. 1. Sunt qui cuncta relinquere, & Dei servitio se subdere, & frano castitatis se restringere deliberant: sed cum post castitatem alios cecidisse conspiciunt, se retrahendo, meritum perdunt.

GRATIAN. Si ergo post votum quisque necessarii cogitur solvere, quod vovit; si voventibus non solum nubere, sed etiam velle, damnabile est: patet, quod Sacerdos iste ad executionem sui voti cogendus est; & non solum non fieri, sed etiam velle Monachum non fieri, sibi damnabile est. §. 1. Quod vero inter voventes iste computandus sit, patet ex verbis Augustini, dicens [Dixi confitebor, &c.] Magna pietas Dei est, ut ad solam promissionem peccata dimittat. Nondum enim pronuntiat ore, & tamen Deus jam audit in corde. Votum enim pro opere reputatur. Sic ergo Propheta inter voventes reputatur, quia dixit, Ego confitebor; sic iste inter eosdem computandus est, quia dixit, siam Monachus. His ita respondetur. Aliud est, propositum corde concipere, & etiam ore enuntiare; aliud est, subsequenti obligatione se retum voti facere. §. 2. Quia ergo iste propositum sui cordis ore simpliciter enuntiat, non autem Monasterio, aut Abbati se tradidit, nec promissionem scripsit, nequaquam reus voti habetur. Unde ait CORR. ROM. a Quia ergo.] In plerisque vetustis exemplaribus hic est initium Questionis secundæ.

AN ECCLESIA ET BENEFICIUM EI REDDENDA SINT QUÆ PRIUS LIBERA VOLUNTATE REFUTAVIT.

QUÆSTIO II.

I. ALEXANDER Papa II. [c. an. 1070. Romæ in Belgium.] Non cogitur aliquis in Monasterio manere, nisi professionem fecerit in manu Abbatis.

CONSALDUS a Presbyter quondam in infirmitate fervore passionis pressus, Monachum se fieri promissit: non tamen Monasterio, aut Abbati se tradidit, nec promissionem scripsit: sed beneficium Ecclesie in manu Advocati refutavit. At postquam convalescit, mox se Monachum negavit fieri. Quapropter quia & Beati Benedicti regula, & præcipue Patris, & prædecessoris nostri sancti Gregorii Papæ Canonica institutio, interdicit Monachum ante unius anni probationem effici; iudicamus, & autoritate Apostolica præcipimus, ut præfatus Presbyter beneficium a & altaria recipiat, habeat, & quiete retineat.

CORR. ROM. a Beneficia.] In vetustis exemplaribus, & apud Ivonem (apud quem Caput hoc copiosius habetur) legitur, beneficium: sed ob Glossam non est mutatum. PITH. 1. Papa II.] In V. C. Hadoni Treverensi & Theorico Viridunensi Episcopis. 2. Gosaldu.] V. C. Gosaldu. 3. Prefus.] V. C. propeffus. 4. Ecclesie in manu Ad. ref.] V. C. in manu Advocati Ecclesie refutavit. 5. Institutio.] V. C. constitutio.

II. IDEM AUGUSTINUS ad Bonifacium Comitem, Epist. 70. [fortè an. 427. in Africa.] Uxor post propositum continentie ducta dimitti non debet.

NOS novimus, nos testes sumus, quod omnes actus publicos, quibus occupatus eras, relinquere cupiebas, & te in otium sanctum conferre, atque in ea vita vivere, in qua servi Dei Monachi vivunt. Cum ergo te esse in hoc proposito gauderemus; navigasti, uxoremque duxisti. Si conjugem non haberes; dicerem tibi, quod & Tubanis diximus, ut in sanctitate continentie viveres: sed, ut te ad istam vitam non exhorter; impedimento conjunxerit: sine cuius confessione continenter tibi non licet vivere: quia & si tu post illa tua verba Tubanensis ducere non debebas, illa tamen nihil eorum tibi sciens innocenter tibi, & simpliciter nupti.

CORR. ROM.] Confectum est hoc Caput ex verbis B. Augustini in Epist. 70. sed in epitomen redactis. Ivo autem integrè refert.

GRATIAN. Ecce iste corde concepit se Monachum fieri, & ore pronuntiavit se velle in otium sanctum conferre, non tamen postea coactus est suscipere quod corde concepit, & ore pronuntiavit. Autoritas illa Alexandri secuta institutionem B. Gregorii, & B. Benedicti Probantis annum indiget, sed notis: ignotis verò triennium conceditur. Unde

III. EX DECRETO Bonifacii d. [imò ex d. Novell. 5. Capitul. lib. 5. c. 227. fortè c. an. 810.] Ante probationem triennii nullus in Monasterio suscipiatur.

SI quis incognitus Monasterium ingredi voluerit; ante triennium Monachi habitus ei non præferatur. Et si intra tres annos, aut servus, aut libertus, aut colonus, & quævis à domino suo; reddatur ei cum omnibus, quæ attulit: fide tamen accepta de impunitate. Si autem intra triennium non fuerit requisitus; postea queri non potest, nisi sit tam longè, quod inveniri non possit. Sed tantum ea, quæ in Monasterium adduxit, dominus servi accipiat.

CORR. ROM.] Caput hoc etiam in Pannormia citatur ex Bonifacio. A Burchardo autem & Ivone, & in plerisque vetustis exemplaribus Gratiani tribuitur Concilio Tolitano. Sed in nullo eorum, quæ impressa, aut manuscripta habentur, inventum est eadem tamen ferè sunt in Capitularibus, & apud Julianum antecessorem novellæ 123, c. 52. a Libertus.] Sic emendatum est ex aliquot manuscriptis, & ex locis indicatis: quam lectionem habuit etiam autot Glossæ. Antea legebatur, lber. §. Sed tantum.] Hæc addita sunt ex locis indicatis.

SI CONTINGAT ALIQUEM SE ET SUA MONASTERIO TRADIDISSE, AN CUM LICENTIA ABBATIS LICEAT EI AD PROPRIA REDIRE.

QUÆSTIO III.

QUOD autem queritur, an post traditionem sit ei fas cum licentia Abbatis ad propria redire, facile monstratur non posse fieri. Ipsum enim redire criminum est. Qui autem manifeste facinori desinit obviare, cum potest; consentit. Hic autem non solum non obviat; sed etiam permittendo fautor existit. Non ergo licet Abbati dare licentiam alicui retro abundi: nec illi licet utique retrorsum abire; quia ex quo semel se Abbati subiecit, absque eius permissione nihil agere potest.

QUI SINE LICENTIA ABBATIS DE MONASTERIO ABIERIT, AN SUA SIBI AB ABBATE REDDENDA SINT.

QUÆSTIO IV.

SI autem sine licentia Abbatis de Monasterio discesserit; queritur, utrum sua sint ei reddenda, an non. Sed possessiones, & res Ecclesie traditas quolibet modo alienare nec Abbati, nec alicui licet. §. 1. Unde Symmachus Papa a [possessiones, quas unusquisque, &c.] & iterum

I. IN SYNODO ROMANA III. c. 6. [an. 502. Roma.] Honore privetur, qui de jure Ecclesie aliquid alienare præsumpsit.

QUicumque b Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum b oblitus Dei, & Decretis huius inmemor a in Constitutum præfens committens, prædium b Ecclesie magnum, Polyc. l. 6. vel exiguum, vel quidquam de jure Ecclesie alienare tentaverit, & donator, & alienator, & venditor honoris sui amissione mulctetur.

CORR. ROM. a Inmemor.] In Concilio ipso sequitur, contra Romanæ civitatis Sacerdotes volumus Religiosis vestibus devinciri. Nam, ut supra XII. q. 2. non liceat, dictum est, in ea Synodo Romanæ tantum Ecclesie legem Symmachus præscripsit.

b Prædium.] Hoc loco omisissis verbis sexti capitis, eorum loco referuntur hæc ex titulis ejusdem Concilii: omninoque Caput hoc ex verbis illius Synodi suo modo Collector aptavit.

PITH. 1. De jure Ecclesie.] In Concilio ipso sic legitur, de jure titularum vel Ecclesie superius præfata quolibet modo, præter aurum, argentum, vel gemmas, vestes quoque si sunt, vel si accesserint; aliæque monilia, ad ornamenta divina minime pertinentia perpetuoque, exceptis duntaxat sub præfata conditione donibus, alienare tentaverit. 2. 3. Ek.] Desunt in V. C.

II. IDEM GREGORIUS I. Anthemio Subdiacono, lib. II. Epist. 31. c. [an. 603. Romæ in Campaniam.]

P A L E A.

RATIO nulla permittit, ut propriis cujusquam usibus applicetur, quod pro communi utilitate datum esse cognoscitur.

III. IDEM AMBROSIIUS lib. 2. de Pœnitentia, c. 9. [fortè an. 374. Mediolani.] Qui revocandum putat, quod Ecclesie contulit, sacrilegii crimen incurrit.

Sunt qui opes suas tamulvario mentis impulsu, non iudicio perpetuo, ubi Ecclesie contulerunt, postea revocandas putaverunt. Quibus nec prima merces rata est, nec secunda: quia

quia nec prima iudicium habuit, & secunda habuit sacrilegium. Sunt, quos poenituerit opes suas divisisse pauperibus. Sic eos a, qui poenitentiam agunt, hoc solum timere oportet, ne ipsius poenitentia agant poenitentiam. CORR. ROM. a Sic eos.] In originali legitur: Sed eos qui poenitentiam agunt, hoc solum poenitere non debet, ne ipsius, &c. Sed ob Glossam non est emendatum.

IV. IDEM GREGORIUS I. Sabino Subdiacono, lib. 8. Epist. 6. [an. 599. Romæ in Anitiam.] Qui sacris locis devotè retinere contenderit, sacrilegium committit.

SACRILEGIUM e, & contra Leges est, si quis, quod venerabilibus locis relinquatur, præve voluntatis studis, suis tentaverit compendiis retinere.

V. IDEM LUCIUS I. Episcopus ad Gallie & Hispanie Episcopos, Epist. 1. c. 6. [an. 253. Romæ in Galliam, &c.]

SACRILEGIUM f raptores, atque suarum facultatum alienatores à liminibus sanctæ matris Ecclesie anathematizamus, Apostolica autoritate pelimus, & damnamus, atque sacrilegos esse iudicamus: & non solum eos, sed omnes consentientes eis; quia non solum qui faciunt, rei iudicantur; sed etiam h, qui consentiunt facientibus. Par enim poena & agentes & consentientes comprehendit.

VI. IDEM NICOLAUS Papa omnibus Episcopis, l. [fortè c. an. 865. Romæ.] Excommunicetur, qui consensu Ecclesie frangere tentaverit.

Sicut antiquitus à sanctis Patribus statutum est, statimus, ut major Ecclesia per circuitum XI. l. passus habeat; Capelle verò, vel minores Ecclesie triginta. §. 1. Qui autem contra earum m frangere tentaverit, aut personam hominis, vel bona ejus inde subtraxerit; nisi publicus latro fuerit, quovisque emendet, & quod rapuerit reddat, excommunicetur.

VII. IDEM EX CONCILIO TRIBURIENSI. [an. 895. in Germania.] Solvatur altario, quod pro emendate emendatur Ecclesie.

SI quis in ario b Ecclesie pugnam committit, aut homicidium facit; quidquid pro emendate a violata emendatum est, altario solvatur, cuiuscumque fuerit Ecclesia illa. CORR. ROM. a Emendate.] Sic etiam apud Burchardum Ivo habet, pro immunitate violata. In aliquot vetustis Gratiani exemplaribus legitur, pro emendate Ecclesie violata. Summa autem hujus Capitis ferè habetur in Triburiensi, quod extat, c. 4. §. 6.

VIII. IDEM AUGUSTINUS ad Bonifacium Epist. 187. [fortè c. an. 427. in Africa.] Non licet alicui bonitatem de Ecclesia rapere.

MIROR e, quomodo tam subito fidei murum aries ruperit inimici. Novi enim qua religione semper sic Ecclesiam Dei veneramus. Quo diligantia facere ausus es hominem de Ecclesia rapisti? Tuis si de tuo amico forte præsumeret fugitivus, posset proculdubio intercessoris causa veniam promereri. Ergo si amicus intenditur, cur Deus offenditur? Sed si de potestate præsumitur; Nabuchodonosor Regem intende, qui causa superbia in bovem est ex homine commutatus a. Non ut confundam te P, hæc scribo: sed ut filium charissimum moneo. Ecclesie igitur illaelum revoca, quem ut irreligiosissimum rapisti. Oblatio vero domus tue à Clericis ne suscipiatur, indixi: communioneque tibi interdicto: donec peracta pro auitibus, vel errore à me definita tibi met poenitentia, & tempore ordinato pro hoc facto, corde contrito & humiliato dignum offeras sacrificium Deo.

CORR. ROM. a Commutatus.] Hoc loco ista erant interjecta, atque à Regno suo profugus recedens, non ante Regnum recepit, quam converfus Deum prædicavit: quæ à multis vetustis abunt, & originali, & Ivone. Sunt autem inter verba Gratiani infra, de poenitentia, list. 1. c. 10. in listens.

IX. IDEM EX LIBRO V. Capitularium c. 90. f. [an. 813. in Germania.] Fugientem ad Ecclesiam nemo audeat abstrahere.

REUM ad Ecclesiam e confugientem nemo abstrahere audeat, neque inde donare a ad poenam, vel ad mortem: ut honor Dei, & Sanctorum ejus a conservetur: sed Rectores Ecclesiarum pacem, & vitam, ac membra ejus obtinere studeant: tamen legitime componat, quod iniique fecit.

CORR. ROM. a Donare.] Sic est emendatum (ante enim legebatur, damnare) ex Capite Caroli, & Concilio Moguntino, & plerisque vetustis Gratiani exemplaribus, & ceteris Collectoriis: quamquam apud Burchardum ex Concilio apud Theodanis villam, & in Pannormia ex libro Capitularum longè copiosius hoc Caput refertur.

PITH. 4. Dei.] Sandorum ejus.] V. C. Ecclesiarum, quæ vox infra delenda.

Pars I.

X. IDEM GELASIUS Victori, Constantino Martyrio, Felissimo, Sereno, & Timotheo Episcopis. [fortè c. an. 494. Romæ.]

Ab Ecclesie arceatru ingressu, qui aliquem de Ecclesia violenter rapaverit.

FRATER u, & Coepiscopus noster Epiphanius sua nobis relatione suggestit, Benenatum, & Maurum Beneventanæ municipes civitatis, in contumeliam Religionis acerba nimis, & plecibili contumacia profuissse: qui confugientem ad Ecclesie septa Curialem suum ne illic quidem tutum, aut de injuria sua securum esse siverunt: aui irruptione temerarie mentis admittere, quod nec Potestatibus quidem, ne vel Principibus umquam licuit perpetrare: ut hominem in sanctuariis constitutum (captatâ Sacerdotis absentia) reluctantem, reclamantemque violenter abstraherent. Quos, quantum sua nobis suggestione patefecit, et si revera tantis factoris constar admittim; nostra etiam autoritas in hac parte consentit. Nec enim jure ad supplicandum debet admitti, qui violenter sacrilegium non dubitavit. Nullus enim intra limina tantæ venerationi deputata utrumque sibi licere existimet pro sue voluntatis arbitrio; ut & humilitatem sibi vendicet, & furorem. Et ideo, Fratres charissimi, supradictos, si manifesta reos facit conquectio, ab omnibus Parochiarum vestrarum Ecclesiis nostræ præceptionis autoritate prohibete: ut non solum hi, qui in injuriam sanctorum locorum profuissse probantur, merito consequantur pro facti sui qualitate vindictam; verum etiam ceteri à tali præsumptione, ultionis istius timore revoventur.

PITH. 5. Perpetrare.] V. C. penetrare.

XI. IDEM Epiphano Episcopo. [fortè c. an. 494. Romæ.] Ecclesiarum non est dignus ingressu, qui eas violat.

AD Episcopos a ceteros direximus iustionem, ut eos, qui Ecclesias violasse perhibentur, accessu earum iudicent esse indignos.

XII. IDEM PIUS Papa I. Epist. 2. Italicis. [fortè an. 157. Romæ.] Qui Ecclesiam Dei vastat, & ejus Sacerdotem insequitur, sacrilegium iudicatur.

Sicut qui Ecclesiam b Dei vastat, & ejus prædia, & donaria expoliat, & invadit, fit sacrilegus; sic & ille, qui ejus Sacerdotes insequitur, sacrilegi reus existit, & sacrilegus iudicatur. §. 1. Non ergo gravius peccatum est fornicatio, quam sacrilegium. Et licet majus est peccatum, quod in Deum committitur, quam quod in hominem; sic gravius est sacrilegium agere, quam fornicari.

XIII. IDEM URBANUS I. Epistola ad omnes Episcopos, c. 2. c. [an. 222. Romæ.] Quæ panâ feriatur, qui Ecclesie usibus dedicata prædia exare tentaverit.

ATTENDENDUM est e omnibus, ne prædia usibus secretorum Cælestium dedicata, à quibusdam irruentibus venentur. Quod si quis fecerit; post debite ultionis acrimoniam (quæ erga sacrilegos jure promenda est) perpetua damnetur infamia, & carceri tradatur, aut exilio perpetue deportationis uratur.

PITH. 6. Attendendum est.] l. 11. Cod. Tb. de Episc. & Cler.

XIV. IDEM IGNIUS Papa. [fortè c. an. 154. Romæ.]

P A L E A.

SI quis Ecclesiam e igne combusserit f, quindecim annis poeniteat, & eam sedule restituat; & pretium suum a pauperibus distribuat.

CORR. ROM.] Hæc Palea in uno tantum Vaticano codice habetur: in quo sicut in vulgatis, & Pannormia citatur ex Igino: à Burchardo autem & Ivone ex decretis Julii. a Pretium suum.] Apud Burchardum l. 19. in c. de sacrilegio, sic legitur: Incendisti Ecclesiam, aut concessisti se fecisti, Ecclesiam restitue: & pretium tuum, id est, ouiregellum tuum pauperibus distribue, & quindecim annis per legitimum serva poenitentia.

XV. IDEM CLEMENS I. Epist. 2. ad Jacobum, [c. an. 68. Romæ Hierosolymam.] Jude similis probatur qui ornamenta surripit Ecclesie.

SI forte quispiam b Presbyter, sive Diaconus, sacrarii fissionem, vel velum subtrahat h vendiderit; Jude Iscariotis similis estimabitur. Qui propter cupiditatem fecerit hoc opus; noverit se supradicti Jude suscepturum poenam.

XVI. IDEM EX POENITENTIALI Theodori, [c. an. 680. in Anglia.] De eodem. P A L E A.

PECUNIA Ecclesiastica furata, vel rapta, reddatur in quadruplum: populi verò dupliciter. Si quis aliquid de ministerio sanctæ Ecclesie furatus fuerit, septem annis poeniteat; tres in pane & aqua.